



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Exigere in Mutuo id, quod debetur ex Justitia vel Caritate. parag. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

tuito pereat. Sed in casu de quo loquimur, si ego ante decimum annum moriar, tu potes illos centum sine scrupulo retinere, ergo hic non est contractus Mutui.

3. Potius ergo erit, ut dictum est in titulo, contractus innominatus, Do, ut des. De eo tamen hic agere volui, quia Sylvester, & alique dicunt, hunc contractum esse Usurarium, quia tunc (ajunt) si ego, non moreretur, exigere lucrum ex mutuo. Verum, ut jam dictum est, nec exigere lucrum ex mutuo, quia hoc non est mutuum, nec exigere, injuste, quia ex ludo sortis exigere.

a Silv. V. Usura 3. qu. 36. & 37. Armil. V. Usur. n. 36 & 37. Ang. V. Usura 1. n. 42. & 43.

§. VIII

Exigere in Mutuo id, quod debetur ex Justitia, vel ex Caritate.

1. PRIMò. Debes certò ex Justitia mihi centum: ego tibi mutuo alia centum, sed exigo ex pacto, ut reddas illa centum, quæ mihi alias ex Justitia debes.

Secundò. Debes certò, ex Caritate mederi, vel adjuvare pauperem in extrema necessitate, ego tibi mutuo decem cum pacto, ut medearis, vel adjuves dictum pauperem: licitè hæc exigo?

2. Respondeo ad primum, affirmativè, quia non exigo ex vi Mutui, sed ex vi Justitiæ extra Mutuum. Ad Secundum, negativè, quia non exigo ex vi Mutui, sed ex vi Justitiæ extra Mutuum. Ad Secundum, negativè, quia non exigo ex vi Mutui, sed ex vi Justitiæ extra Mutuum. Antequam obligatus fuisset ex Caritate. Sed affirmativè, id est, licitè me gerere, responderet Molina, & meritò, quia, cum adsit obligatio ex Caritate parum addit, qui insuper addit obligationem ex Justitia, unde sic non videtur moraliter superaddi novum gravamen.

b Pet. Navarr. lib. 3. c. 2. n. 351. c. Molin. lib. 3. c. 2. n. 351.

3. Dictum est autem (debes certò) nam, si dubiè debeas, negativè in utroque casu respondendum est, quia clara est injustitia, velle certò, quòd dubiè tibi debetur.

Quid si probabiliter debeas? Respondeo Caramuel affirmativè responderet. At hæc sententia difficillima mihi est creditu; quia sic facis certum debitum, quod erat solum sub probabilitate, & me privas eo jure, quo poteram meam probabilitatem apud Judices uti; quo pacto fortasse vincerem, nihilque tibi essem traditurus. Id quod certè pretio non parvo æstimabile esse, negabit nemo.

d Caram. in Theol. Morali lib. 2. d. 14. casu 4. n. 731.

4. Contra. Ego mutuans v. gr. debeo Equum, vel damnum, quod tibi intuli in fama, honore, rebus tuis, licitè, & justè possum tibi mutuari cum pacto, ut hæc omnino remittas? Id enim, etiam hic, est resolvendum propter connexionem materie.

Respondeo, esse nimis manifestum, non posse, quia peterem plus quam mihi debetur ex Mutuo: remissio enim prædictorum est nimis manifestè pretio æstimabile.

5. Quid de pœna, quam mutuans tibi ob aliquam rationem forte debet post sententiam Judicis, potestne is licite tibi mutuari pecuniam cum pacto, ut illam pœnam remittas ante dictam sententiam, quando ipse certe nondum obligatur ad illam subeundam?

Respondeo, non posse, & nam licet tunc non sit debita hujusmodi pœna proxime, est tamen remote debita, cum Mutuatarius habeat Jus accusandi mutuante; quare mutuans peteret lucrum ex mutuo, si peteret remissionem illius, quæ certe remissio non parvi æstimatur apud homines.

6. Quid denique de vindicta, quam mutuans timer, ne Mutuatarius in aliquo forte offensus, sumat de ipso mutuante? potestne mutuans mutuari pecuniam cum pacto, ut Mutuatarius ab illa vindicta desistat?

Respondeo. Ut desistat à vindicta injusta, vel injusto modo intenta, talis esset vindicta, quæ fieri debet auctoritate publica, & ipse Mutuatarius intenderet facere auctoritate privata, poterit licite. Idem dicitur de desistat ab odio. At, ut desistat à vindicta, seu satisfactione justa, & ab illa satisfactione, quam juste potest implorare ab auctoritate publica, non poterit licite. Ratio est, quia ibi peteret, si Mutuatario novum gravamen: hic verò seculus. Ita f. Navarr.

7. Hic tamen recolendum est, quod dixi superius de requirente gratitudinem; nam inde colliges, in rigore non esse illicita hæc, quæ in hoc paragrapho dicta sunt, peti, tantum ex gratitudine, & amicitia. An verò possit fieri pactum, ut, dum ego tibi beneficium mutui impendo, tu impendas Beneficium hoc remissionis, quamvis semper ex congruentia; dicam infra. b

§. IX. Lu-

c Ang. V. Usura 1. ex Mal. 307. Luff. 2. 10. d. 1. 12.

f Navarr. c. 17. in man. n. 239.

g Supra. c. 1. n. 351. h Infra. c. 2. n. 731. i Exple. c. 1. n. 351.

§. 4.